



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

102. Fer. 5. Lapsum Petri docet non labi, vellapsum refurgere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

contrivisti superbiam: da nobis, quæsumus, quæ idem piè pro nobis pertulit, digne recollere, sicque exemplo ejus nobis ad verum sancti equanimiter tolerare. Per eundem Dominum, &c.

MEDITATIO CII.

Feria 5. Dominicæ 4. Quadrage.

Lapsus Petri docet non labi, vel lapsum resurgere.

Aspiciam Petrum a lapsu amaris lacrymis madidum, aulâ exeuntē foras, obviumque D. Virgini, & gemitibus inenarrabilibus casum suum deplorantem. Petam intelligere negationis causas, ut alieno malo sapiam.

Conf. 1. Quomodo non sint stabiles, qui serviunt DEO, & in Angelis reperiatur pravitas: quanto magis qui habitant domos luteas. Heu quàm instabilia sunt humana omnia! quod hodie jam stare immobiliter videbatur, cras ejus iterum jacienda sunt fundamenta: quod hodie itineris in via Dei confectum videbatur, cras etiam num inchoandum est: quàm misera est hominum conditio, quibus ipsa lux est occasio tenebrarum, via erroris, vita mortis, salus perditionis, & quàm nihil apud nos ruinæ periculo vacat! Extra Ecclesiam ruinæ, in Ecclesia ruinæ, in ipsa Religione domo Christi ruina, in ipsa morte cum Christo ruina. Cecidit columna

coeli ad vocem ancillæ: & quis in medijs tentationibus positus non timeat?

Conf. 2. Causas lapsus Petri fuisse octo.

1. Ignorantia sui: propterea negabat, quia intus esse nolebat; nolebat nosse se, præfidebatque præmonitus de imbecillitate à Domino. D. Drogo. de Pass. Dom.

2. Oblivio DEI: quia postquam conversus Dominus respexit Petrum, tunc primò recordatus est Petrus verbi Domini.

3. Tepor, sequendo à longè. Quisquis à longè sequitur, tepet: Quia ab igne abest, qui Deus est: hinc luctæ: Quia dæmon petulantius infirmiora vasa pertentat, sicut non Adam, sed Evans coluber aggressus est. D. Paulin. Epist. 4.

4. Timor fineratione, & pavor ad verbum Ancillæ, cum genus mulierum potius misericors sit, quàm sævum.

5. Remansisse in atrio inter occurstantes turbas, in varia distractas. *Nemo diu tutus est periculo proximus.* D. Cypr. L. 1. Ep. 11.

6. Fuisse mores imitatum turbæ Nihil periculosius Philosophiæ Christianæ, quàm turba ignara, & contemptrix, cui insertus vel non it, quò virtus vocat, vel eundo contra plurimos obteritur.

7. Fuisse otiosum. Discipulus sedebat, dū Magister staret, & quidem sedebat non fessus sequendo, sed fugiendo. H 2 8. Ce-

172 FERIA 6. DOM. 4. QUADRAG.

8. Cepisse consilium ab exitu & fine, & eo deliberasse de cōfitendo Deo: cūm eventuum rerum non sit consilij nostri, sed alienæ potestatis. Detestabor has 8. origines tanti casus.

Cons. 3. Tres causas, propter quas Petrus lapsus describitur. 1. coërcendos spiritus præfidentes. 2. Ad suggerendam lapsis spei indulgentiæ. 3. Ad imitandum amaritudinis exemplum. Petrum una noctis hora ad fletum monet, nos omnis. *Audeo dicere super his, esse utile cadere in aliquod apertum, manifestumq; peccatum, unde sibi displiceat, qui sibi placendo ceciderunt: Salubrius enim Petrus sibi displicuit, quādo flevit, qui sibi placuit, quando presumpsit.* D. Aug. Lib. 14. de Civ. D. c. 13.

MEDITATIO CIII.

FERIA 6. DOM. 4. QUADRAG.

Declinanda concilia malignantium.

Aspiciam novum Concilium coactum Iudæorum adversus Dominum. Petram semper evitare similes conventus.

Cons. 1. Verba D. Lucae c. 22. *Et ut factus est dies, convenerunt Seniores plebis, & Principes Sacerdotum, & Scribæ, & duxerunt illum in concilium suum dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Fuit hic dilemma, ut, si affereret se Christum esse, confidentius tanquam pertinacem accularent coram Pilato; si verò negaret,*